

217 Alii dicebant, ut D. Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. virtutes à donis fecerit, quia per virtutes disponitur voluntas, quatenus est mobilis à recta ratione, & per dona, prout est mobilis Spiritu Sancto. Sed neque hoc sufficit, quia virtutes Theologicæ elevat morales, & cum illis hominem constituunt sub speciali assistentia Spiritus Sancti, ut constat ex illo Ioan. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo; unde inquit Doctor 1. dist. 17. q. 2.* ad secundam de secunda via, Spiritum Sanctum cooperari de lege communi existentem in charitate, sicut ex lege communi cooperatur Deus omni causa secundæ ad naturalem eius effectum; cum ergo virtutes morales per charitatem elevatæ sub speciali assistentia Dei modum habeant, & finem supernaturalem, in quantum charitas est forma omnium virtutum, planè gratis omnino sub speciali motione Dei dona secundum rem, & in ratione habitus distinguuntur à virtutibus; sed solum deduci potest, quod distinguantur secundum diversam habitudinem, cum virtutes etiam cadant sub motione divina, & hominem in statu charitatis existentem perficiant etiam in ordine ad ultimum finem.

218 Alii tandem dicebant, ut Henricus ad virtutes spectare perficere hominem, ut terribilia farat modo humano, hoc est, non sine molestia aliqua; Ad dona autem spectare, ut perficiant ipsum ad ea ferenda modo super humano ita, scilicet, ut ea ferat cum gaudio. Ad beatitudines, tandem perficere ipsum; ut ea perferat modo in humano, hoc est, divino, ut quando etiam mors ipsa, quæ est ultimum terribilissimum, non solum non timeatur, sed etiam cum gaudio appetitur, ut contingit in quibusdam Martyribus; ex qua diversitate putabat Henricus sufficienter inferri specificam diversitatem inter dona, virtutes, & beatitudines. Hoc etiam impugnat Doctor, quia sequeretur dari aliud quod bonum, vel beatitudinem essentialiter perfectiorem charitate, quod est falsum, quia charitas est excellentissimum Dei donum, ut ait August. 15. de Trin. cap. 19. & patet ex 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, in aut ardeam* (quod videtur esse modo super humano, imò etiam in humano, seu divino, licet hoc vocabulum fit satis incongruum ad hoc significandum) *charitatem autem non habero, nihil mihi prodest*, ergo non est aliud donum, quod excellentius perficiat, quam charitas, quæ tamen est virtus. Tùm quia etiam alie virtutes possent ita intendi, & perfici, ut sine alia perfectione distinctæ speciei, posset quis superare omnes difficultates, quantum eas in hac vita superari contingit; & consequenter ita ut quis etiam cum delectatione, & gaudio morem appetat, & obeat, & alia quæcumque terribilia; ergo ad illos tres agendi modos præter virtutes in gradu perfectionis, & eminentis nil aliud requiritur.

219 Tertio, hinc etiam recitatur, quod communiter dicitur à Regentioribus, in iustus requiri dona, ut à virtutibus distincta, pro quibus extraordinarius, nam ex Scriptura, & Vita Sanctorum habetur, Sanctos quandoque fuisse à Deo in pullos ad faciendam aliqua opera extraordinaria, & potius admiranda, quam imitanda, ut patet Iudicum 5. de Sampson, & 1. Machab. 6. de Eleazaro; Ob hos igitur speciales actus eximios, extraordinarios, & elictos ex speciali impulsu Spiritus Sancti sua objecta attingentes modo super humano, vel inhumano inveniunt Suarez, Tannerus, Lezana, & alii dari debere dona à virtutibus distincta. Hoc inquam, recitatur ex dictis, quia nullus potest assignari actus hominis, quo morem subire velit, & cum gaudio appetat, qui non fit actus alicuius virtutis; si enim id faciat, ut Deo placeat, & ob amorem eius, erit charitatis; si ad fidem tendendum, erit fidei; si ad beatitudinem consequendam, erit spei, & sic de aliis virtutibus, nec movemur aliquid assignari potest, quod non sit alicuius virtutis. Tùm quia, ut ait Arriaga *disp. 38. sect. 3.* Tales actus extraordinarii, & admirandi potius, quam imitandi, ad summum solum requirere possunt speciem Dei illustrationem, qua constat de licentia ad illos, qui alioquin sine licentia essent peccata, ut patet de D. Appollonia, & quæ ultra ex Carnificum manibus elapsa se in rogam iniecit, & de S. Pelagia, quæ conservandæ virginitatis causa cum sociabus se in flumen proiecit; hæc autem Dei illustratio non est quæ permanens per modum habitus, sed est actualis cognitio excitata miraculose in hominibus ad illos actus extraordinarios suadens, & impellens; nam etiam ad accipiendum aurum, argentum, & alia prætiosa Ægyptiorum fuit necessaria inspiratio Dei declarantis id hic, & nunc, non esse contra iustitiam, sed licitum; & tamen non propria illa peritio peritio ad habitum specialem, qui erat donum, sed habitus discurrendum est de voluntate, quam habuit Abraham sacrificandi filium, quæ sine dubio fuit à valde extraordinario Spiritu Sancti instinctu, qui instinctus nil aliud fecit, quam licitam reddere eam occasionem, alioquin ex se illicitam; at lapsa est licentia, & mandato, non minus peritit illa voluntas ad obedientiam virtutem, quam alii actus, qui exercebantur ad observanda præcepta; unde prætere-

eam obedientiam non fuit necessarium aliud donum, nisi specialis illustratio confortans voluntatem, quæ maior, aut minor est semper necessaria ad actum virtutis; Et sic etiam de Sampson, Eleazaro, & aliis Martyribus est discurrendum, qui ultra se se morti tradiderunt; nam si Deus id eis mandavit, ut facerent, talis occisio fuit actus obedientie. Si verò solum honestam reddidit actum, non verò præceptam, tunc actus ille fuit fortitudinis, quæ potest efficere, ut quis generosè martyrium subeat; Ergo ratione specialis instinctus Spiritus Sancti nullatenus novum donum est necessarium, sed maior illustratio intellectus, qua confortetur actus voluntas ad eam difficultatem superandam.

220 Quarto tandem probat Doctor ratione veluti à priori *disp. 3. 5.* *Sed istam questionem*, per septem virtutes Theologicas, & morales homo perficitur ad quatuor in politia civili, & divina, morali, & Theologica; ergo gratis ponuntur dona, beatitudines, & fructus habitus speciei, & essentialiter ab illis distincti; probat Doctor assumptum, quia omne obiectum, circa quod potest perfici virtus, non potest esse, nisi Deus, vel creatura; sed circa Deum sufficienter perficitur tribus Virtutibus Theologicis, nam circa ipsum, ut in immediate cognitionem in via, sufficienter perficitur fides; sicut dicitur in 2. Thim. 1. 5. *in scientia Charitatis*; & ut appetibilem, quatenus commodum mihi, sufficienter perficitur spes; non enim contingit virtorem habere circa Deum actus ordinatos alios præter intelligere, diligere ipsum in se, & appetere eum mihi, ut bonum meum, & inquit Doctor, quod circa Deum sufficienter perficitur homo tribus virtutibus Theologicis & hoc perfectissimè, quantum perfecti potest, si illi tres habitus sint perfectissimi in suo genere. Similiter circa obiectum creatum, virtus quantum ad intellectum, non loquendo de speculativis, quæ non consumantur inter virtutes Cardinales, quoniam non perficiunt homines ad bene operandum, & rectè vivendum, sufficienter perficitur per prudentiam, ac etiam perfectissimè, si prudentia sit perfectissima; ipsa enim est de omni agibili, & quantum ad omnem conditionem agibilis perfectissima notitia; sic etiam quantum ad appetitum perfectissimè perficitur tribus Virtutibus Moralibus, si sint perfectissimæ, nam vel appetitus veritatis circa alium, & appetibilem, quod fit per iustitiam, vel circa se, & appetibilem sibi, & hoc dupliciter, vel primò, & directè, quod fit per temperantiam, vel secundario propter illa prima, quod fit per fortitudinem. Unde concludit Doctor, quod homo perfectus tribus Virtutibus Theologicis, & virtutibus intellectualibus speculativis, & præctis, & Virtutibus Moralibus ordinatis ad se, & ad alterum perficitur quantum potest competere virtuti. Et idè non videtur aliqua necessitas ponendi alios habitus ab istis per dona, beatitudines, & fructus importatos, qui sunt Virtutes Theologicæ, intellectuales, & morales; Per quam doctrinam sufficienter excluditur responsio Caietani negantis has virtutes perficere circa omne obiectum, & omnimodo.

221 Itaque ex dictis concluditur de mente Doctoris virtutes, & dona esse idem re, & solum differre ratione, & ex diversa comparatione, nam idem habitus dicuntur virtutes, quatenus inclinant ad opera virtutis; dicuntur dona, vel quatenus à Deo liberaliter donantur, & infunduntur, ut patet de tribus Virtutibus Theologicis, & si quæ alie infunduntur, vel quatenus perficiuntur, & perfectionantur à Charitate, quæ est virtus à Deo liberaliter donata; & sic Virtutes morales acquiruntur, licet non sint immediatè à Deo infusa dicuntur tamen dona secundum illud esse perfectum, quod habent à donis, quod non habent ex se, & quatenus acquiruntur sunt, sed per aliquid liberaliter à Deo donatum; Quare Doctor 4. *disp. 14. quæst. 3.* inquit, quod virtutes morales elevatæ sub regula fidei dicuntur Christianæ, Evangelicæ, & donæ Dei, ex imperio Charitatis extrinsecè habentes proprios actus in sua specie honestos ad ultimum finem meritorie directos; Et ex his tandem habemus eundem habitum secundum rem dici virtutem, donum, beatitudinem, & fructum; dicitur virtus, quia actum virtuosum inclinat; dicitur donum, quia vel à Deo liberaliter donatur, & infunditur, ut patet de Virtute Theologica, vel quia habet aliquid esse perfectum à dono, ut modò dictum est de virtutibus moralibus, à fide, & charitate elevatis; & hæc virtutes eadem dicuntur beatitudines in spe, vel in merito, quia per ipsas æternam merebunt beatitudinem; Et tandem dicuntur etiam fructus propter specialem reflectionem, & dulcedinem sibi annexam. Bene tamen verum est, quod Doctor advertit loco citat inter duodecim fructus Spiritus Sancti enumeratos ad Halatas cap. 5. charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas &c. quædam recentiori, quæ propriè non sunt virtutes, sed delectationes, consequentes, vel concomitantes virtutis actum, ut gaudium, & pax, est enim gaudium delectatio in voluntate, pax verò est securitas habendi obiectum finem.

ne impugnationes, sic ergo patet, quod in donis, beatitudinibus, & fructibus non sunt alii habitus ab habitibus virtutum, vel fructibus ipsarum, licet non sit idem numerus hinc inde, nec eadem numerata; Scriptura enim sacra eadem realiter subaliter verbis exprimit nunc omnes aliqua, & alibi exprimit omnia, ut longo discursu probat Doctor *loc. cit.* ad quem Lectorem remitto.

ARTICULUS SECVNDVS.

Objectiones Solvuntur.

222 **I**n oppositum Primò Arguit Thomista ex Patrum auctoritate, præsertim verò ex Gregorio I. Mor. cap. 28. distinguunt septem dona significata per septem filios Iob à tribus Virtutibus Theologicis significatis per tres filios Iob. Et par. 2. Mor. cap. 36. eadem septem dona distinguit à quatuor Virtutibus Cardinalibus significatis per quatuor angulos domus eiusdem Iob.

Respondet, Gregorium non absolute distinguere septem dona à Virtutibus Theologicis, & Moralibus in genere qualitates, vel habitus ex natura rei, sed respectivè secundum diversas habitudines iam declaratas; nam ut regulæ humanarum actionum, dicuntur virtutes, ut autem regulæ propter ultimum finem, dicuntur dona; Et in secundo præsertim loco solum docet donum, sed gratia Spiritus Sancti hominem roborantem tentationes in virtutibus, & planè maximum donum est Spiritus Sancti illuminari, ne cadamus; Imò notat Arriaga *loc. cit.* quod in ultimo capite agens de donis potius expressit stat pro nostra sententia, quam pro opposita, quia ea dona dicunt esse, quæ quibus homo salvari non potest; certum autem est, eos extraordinarios actus in quorum gratiam ponunt Thomista dona à virtutibus distincta, non esse absolute ad salutem necessarios; tùm quia expressè ibi memorat humilitatem, mansuetudinem, fidem, spem, & charitatem, unde ibi alia non videtur agnosceri dona, præter virtutes infusas, & nomine virtutis videtur intelligere naturales, nomine verò donorum supernaturalium. Quare concludit ibi Arriaga Patres nunquam cogitasse de duobus habitibus moralibus diversis, & supernaturalibus circa eandem materiam, uno qui dicitur donum, alio, qui dicitur virtus.

Secundo arguit ex Arist. auctoritate, qui 7. Eth. supra virtutem communem ponit virtutem heroicam hominem continentem in esse divino; ergo dona ponit debent à virtutibus distincta etiam in ratione habitus, unde quamvis supernaturalia non agnoverit, nihilominus in naturalibus aliqua, quæ cum ipsis proportionem habent; cognovisse videtur. Confirmatur, quia 7. Magnorum Moralium ponit diversum principium virtutis moralis, & heroicæ, ut prior procedat per consultationem secundum rationem humanam, posterior verò secundum divinam intuitionem, ergo sunt habitus speciei distincti.

223 Respondetur ex Scoto *disp. 34. in fine*, nequaquam Aristot. dixisse virtutem communem, & heroicam importare habitus specifice, & essentialiter differentes; imò potius dixit esse eundem habitum in esse imperfecto, & perfecto, vel perfectissimò intensivè secundum diversos gradus perseverantia, continentia, temperantia, & heroicæ virtutis; unde concludit Doctor, quod perfectissima virtus in eadem specie manens est heroica; & sic in proposito concedimus dona eadem modo à Virtutibus distingui, quia licet sint eiusdem speciei, sunt tamen longè maiores perfectionis, & excellentiæ; Ad Confirmationem concessio antecedente adhuc negatur consequentia, quia eadem virtus moralis est habitus electivus intrinsecè secundum rationem humanam, & extrinsecè secundum divinam intuitionem, quatenus est formata charitate, & ita sub regula fidei; ut enim supra dictum est ex Scoto 1. *disp. 17. quæst. 2. ad 2. de secunda via*, Virtutes Theologicæ elevat morales, & cum illis hominem constituunt sub speciali assistentia Spiritus Sancti.

224 Tertio arguit ratione, quia habitus, & virtutes per actus specificantur, & idè iuxta diversitatem actuum diversi etiam habitus, seu virtutes assignari debent; sed dona Spiritus Sancti, & virtutes habent actus omnino diversos; ergo debent speciei distingui. Minor probatur, quia actus procedentes à virtutibus sunt ordinarii, & consueti à actus procedentes à donis sunt extraordinarii, & excedentes dictamen humana rationis, ut constat in exemplis adductis Sampsonis, Eleazari, Appollonia, Pelagie, & aliorum Sanctorum; Tùm quia actus, seu operationes virtutum proveniunt ab illis secundum regulam

rationis, ac prudentia humanae, prout sunt actus virtutum naturalium, vel prudentia infusa, prout sunt virtutes supernaturales, actus autem donorum neque procedunt, ab ipsis secundum prudentiam humanam, nec secundum prudentiam infusam, sed extraordinario modo, & ex specialissimo instinctu Dei iuxta suum beneplacitum ad eos moventis, ergo dona, & virtutes, à quibus actus procedunt ad id diversa, specificè, & essentialiter distinguuntur iuxta diversitatem regularum, à quibus diriguntur.

Respondet negando minorem, si intelligatur de diversitate specifica, & essentiali, ad primam eius probationem dico, quod si ratione eorum actuum specialium tribus indus esset novus habitus, tunc ille non esset ponendus in omnibus iustis universaliter, sed in eis, quos Deus ita specialiter elevat, nam in aliis rota planè vicia esset oritur; itaque actum illorum diversitas non est essentialis, sed accidentaliter intrinsecè eandem speciem secundum magis, vel minus perfectum, ita ut dona non differant à virtutibus, ut habitus essentialiter distincti, sed quia dona dicuntur virtutes ipsas in quodam excellenti gradu, virtutes verò, ut sic, sunt idem habitus minus intensi, & in gradu inferiori perfectionis. Ad aliam probationem negatur assumptum, quia virtutes etiam cadunt sub motione divina, & perficiunt hominem secundum divinam intuitionem in ordine ad ultimum finem, & hoc quidem virtutibus Theologicis convenit ex se, & ex proprio genere, moralibus verò, quatenus elevantur, ut per virtutes Theologicas, sic enim ipsæ quoque hominem constituunt sub speciali assistentia Spiritus Sancti; Tùm quia ut dictum est *num. 219.* actus illi speciales, & extraordinarii specialem Dei illustrationem requirunt, ut constat de eorum licentia, qua supposita non minus pertinet essentialiter ad species virtutum, quam alii actus ordinarii; & idè pro eis non est necessarium distinguendum novus habitus essentialiter à virtutibus distinctus, ut dicitur donum.

225 Quarto tandem arguit, quia Scotus negat dari virtutes morales per se infusas, & solum admittit acquiritas; ergo saltem cum istis dona coinciderent non possunt, cum enim propriis actibus acquirantur, nequeunt dici dona à Deo data. Deinde in Christo fuerunt septem dona Spiritus Sancti, sed tamen non fuerunt in illo omnes virtutes, quia non fuerunt in illo fides, & spes. Tandem non omnes virtutes sunt dona, neque è contrà, nam inter virtutes Theologicas una pertinet ad intellectum, scilicet, fides, duæ ad voluntatem, scilicet, charitas, & spes; inter Cardinales verò una ad intellectum, scilicet, prudentia, reliquæ ad appetitum, scilicet, pietas, fortitudo, & consilium; ergo dona, & virtutes erunt habitus distincti, & tamen non idem numerus virtutum, beatitudinum, & fructuum, nam virtutes sunt septem, beatitudines octo, & fructus duodecim; ergo non coincidunt.

Respondet Arretinus, quod omnibus iustis infunduntur divinitus virtutes quoque Cardinales, quales possunt ipsi acquirere, quæ sunt eisdem speciei cum acquiritis, quæ ratione dici possunt dona à Deo data; Quod si hoc non placet, iam supra *num. 221.* dictum est, etiam virtutes morales acquiritas possent dici dona Dei, quatenus elevat per Theologicas perficiunt hominem supernaturaliter in ordine ad ultimum finem.

Ad secundum, non fuit fides in Christo, quatenus est Theologica virtus, quia ut sic, includit imperfectionem, nempe obliuiscitatem, & invidiam; sed quatenus est donum, quo pacto nullam includit imperfectionem, est ut sic, dicat in Christo notitiam certam, & excellentiæ; Ad Confirmationem concessio antecedente adhuc negatur consequentia, quia eadem virtus moralis est habitus electivus intrinsecè secundum rationem humanam, & extrinsecè secundum divinam intuitionem, quatenus est formata charitate, & ita sub regula fidei; ut enim supra dictum est ex Scoto 1. *disp. 17. quæst. 2. ad 2. de secunda via*, Virtutes Theologicæ elevat morales, & cum illis hominem constituunt sub speciali assistentia Spiritus Sancti.

Ad ultimum iam constat ex dictis *num. 215.* quomodo in donis numerantur tres Virtutes Theologicæ, & quatuor Cardinales, nam charitas, & spes in sapientia continentur; fides verò in intellectu, & scientia, modo ibidem explicata, unde falsum est, quod quatuor dona pertinent ad intellectum, nam sapientia sic explicata ad intellectum, non pertinet; neque intellectus, & scientia duos circumloquuntur habitus, sed unum tantum, secundum perfectum, & imperfectum. Ad illud de beatitudinibus, & fructibus inquit Doctor *disp. 34. in fine 5. ad argumentum in oppositum*, quod est numerus non fit idem, hoc non est habitum ab habitibus, sed specterunt inter mediarum, & specialissimarum contentarum sub istis sunt alii numeri; vel si ostendantur aliquæ altarum alicubi, & alicubi non numerantur tamen.

Disputatio Septima. De Virtutibus Moralibus.

tamen hic, & ibi sunt eadem, ut supra dictum est. num. 221. & fuse declarat ipse Doctor cit. *§. his oppositis*. Et Thomista etiam concedunt, quantum ad beatitudines arrietur, potuisse plures, vel pauciores designari, quod ex ipsis constat Evangelistis, siquidem Matth. cap. 5. octo beatitudines recensuit, &

Lucas cap. 6. quatuor tantum enumeravit; Quantum vero atinet ad fructus communiter tradunt Theologi non importate habitus distinctos ab habitibus virtutum, atque donorum. Quos fructus charitatem, gaudium, & pacem, nos Deus degustare concedat, cui sit honor, & gloria.

F I N I S.

